

est opus diaboli. Princeps enim tenebrarum transfigurat se aliquando in angelum lucis, ut possit filios lucis decipere, quibus non audet in sua larvali specie apparere. Novit etiam, doli et fraudis nexus inextricabiles constringere, quod vix possit eos aliquis sine adiutorio divinae gratiae evadere. Ipsosque laqueos solet sophistica luce et fallaci voce abscondere, ut possit ignorantes attrahere et incautos illicere et decipere. Ita actum est circa te, fili mi. Excitando te ille nequam spiritus persuasit tibi, tempus surgendi anticipare, ut auferret tibi temperamentum discretionis et induceret torporem dormitationis. Ergo fac, quod dico! Exspue in faciem tentatoris et sic illudes fraudem illusoris!“ Ad hoc Conradus ait: „Quomodo audeo, ei tantam contumeliam irrogare, ut in faciem angeli tanto splendore coruscantis exspuam?“ Rursum confessor inquit: „Fili, ne timeas. Fac tantum, quod iussi, et mox experieris, quod fraus in auctorem fraudis collidetur!“ Nocte igitur subsecuta venit iterum tentator et excitavit eum. Et continuo Conradus exilivit de lecto et in faciem eius spuit. Quo viso daemon aufugiens clamavit: „Maledictus sit doctor tuus in doctrina sua!“ Et addidit: „Gaudeo tamen quasi super praeda magna de multiplici devotione tibi surrepta.“ Conradus vero ex toto corde benedixit dominum, quod per confessoris sui doctrinam vipeream evasit malitiam.

#### Cap. 4 [De alia diaboli illusione, qua molestatus est]

Cum argus ille centoculus assidue vigilans ad malum coniiceret, malitiae suae commenta esse sub specie angelica denudata, mox ad alterius doli sub efficie alterius speciei astucias confugit. Conrado etenim oranti in loco, ubi olim erat refectorium et mensa relictæ, versipellis in specie piceæ corvi super eadem mensa huc atque illuc volitans atque crocicans multum importunus fuit et animum orantis avolare coegit. Cui cum recessum per motum manicae orator innueret, repulsus se repelli non permisit. Deinde benedictam aquam contra diabolicum phantasma proiciens frustra laboravit. Postremo indignatus contra malignantis pertiniaciam in haec verba inter se submissa voce prorupit: „Scio, maledicte, scio cuius rei gratia et signi efficacia effugari poteris.“ Et extendens utrumque brachium in modum crucis contra illusorem processit et sic protinus evanuit phantasma et recessit.